



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio**

**Coloniae Vbiorvm, 1645**

CAP. LXII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10133**

## C A P. LXII.

**N**on novum aliquid postulo ; non inauditum efflagito : ita est actum à te cum multis. O si ego ex te illud audirem, Remittuntur tibi peccata multa , quoniam diligis multum ; vel illud , Non ego te condemno , vade & jam amplius noli peccare ; quid esset, quod felicitati meæ posset accedere ? nam quibus gaudiis exultarem ! qua lætitia perfunderer ! ut mihi cantabiles fierent justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ ! Age, Domine, ure renes meos & cor meum dulcissimo caritatis tuæ igne ; amor inquam tuus , Domine , non plagarum crepitus, non verberum ictus, faciat me fastidire omnia præter te unum , faciat me omnia arbitrari tanquam stercora , ut te luci faciam. O ignis, cuncta consumens , amor ad te omnia trahens, voluptas omnia delectans, thesaurus omnia ditans , bonitas omnia completens , suavitas omnia perfundens ; influe visceribus animæ meæ , teque adeo mihi totum admisce, ut ex me atque ex te unum fiat ; siquidem , qui adhæret Deo , unus cum eo spiritus est ; immo converte me totum in te , ut jam non sim amplius ego , sed tu solus in me vivas, vigeas, regnes , & cum Apostolo tuo dicam: Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Deus.

## C A P. LXIII.

**O** Domine virtutum ; scio, me rem magnam atque admirabilem petere ; sed tu, qui facis mirabilia magna solus , ad laudem & gloriam nominis tui præsta hanc rem, tam novam,